

quondam Adolffi comitis de Nassauwe, alter vero dictus Cuno de Falkenstein, actu die hodierna archiepiscopus Treverensis¹. Tamen per Karolum postmodum disponentem² abierunt, et Iohannem quendam gallicum³ de sua⁴ progenie promovit ad ecclesiam Maguntinam.

Iohannes.

Iohannes archiepiscopus Maguntinus regnavit annis 2. Idem dominus regalis et bonus, optime gubernans populum et provinciam Maguntinam, sedit annis 2, et veneno postmodum infectus⁵ ut dicitur.

Adolffus.

Adolffus de Nassauw archiepiscopus Maguntinus regnavit 17⁶ annis. Anno Domini 1372 electus sive postulatus. Obiit anno Domini 1389, ipsa die beate Agate. Iterum electus, qui contra quendam⁷ dominum Ludewicum de natione lantgravie Thuringie, et apostolice provisum de ecclesia Maguntina, per aliquos annos litigavit. Similiter dominum Hermannum lantgravium Hassie, pro nunc viventem, in tantum domuit, ut officium marschalki in opido Fritzlariensi coram multis principibus et baronibus etc. publice in cimiterio ibidem propriis manibus approbabiliter cum mensuratione avene se virum alligatum per⁸ feodum ecclesie Maguntine recognovit. Idem dominus Adolffus⁹ in tantum hominum¹⁰ Hassie Magunt. comburendis opidis Ymphusen et Gudesberg et captis opidis¹¹ Rodinberg et Nedenstein; tamen ultimatim pacificato subpingnoravit eidem domino Adolffo opida Wolffhagen, Grefenstein et Ymphusen pro 21 M. flor. Postea Adolffus confirmatus a sede apostolica sedit ante et post circa 16 annos et obiit ipsa die sancte Agathe, et suis temporibus stetit ecclesia Maguntina in robore et optima pace.

Conradus¹².

Conradus de Winsberg archiepiscopus Maguntinus regnavit 7 annis. Electus fuit anno Domini 1389 in Februario, obiit anno etc. nonagesimo sexto in Octobri, et fuit nacione Suevus. Reddidit lantgravio predicta opida Rodinberg etc. et pacifice sedit annos 7. Cuius anima requiescat in pace.

Gotfridus.

Gotfridus de Lynnyngen fuit canonice electus anno Domini 1396, 17. die mensis Novembris etc. Ibidem dominus Iohannes de Nassauwe ivit ad curiam Romanam et optinuit episcopatum

1) Vgl. oben S. 126. 2) 'disponente' Mog. 3) 'gallicam' Mog.
4) 'suo' Mog. 5) Im Cod. Eb. fehlt diese Notiz; dagegen steht da 'qui nominabatur Hameleszer'. 6) Cod. Eb. 'XXII'. Der ganze übrige Bericht fehlt im Cod. Eb. Vgl. darüber Ioannis, Rer. Mog. I, 700 b.
7) 'quedam' Hs. 8) 'per' fehlt Hs. 9) 'Adolffhus' Hs. 10) 'hominum' Hs., ob viell. 'dominum'? Aber der ganze Satz ist offenbar fehlerhaft. 11) 'opides' Hs. 12) Auch hier ist der Cod. Eb. viel kürzer.